



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab Anno 1752. usque ad  
Annum 1757 - Cum Appendice ad Annos 1744. 1745. 1748

**Luxemburgi, 1758**

LXXV. Missam celebrantes, aut Fidelium Confessiones excipientes, ad  
Precbyteratus Ordinem non promoti, quibus pœnis ex Sacrorum Canonum,  
& Apostolicarum Constitutionum præscripto subjiciantur; quæ ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74789](#)

existentibus Archiepiscopo & Electore Moguntin., ac Episcopo & Abbatte Fulden., ac ab aliis, ad quos spectat & pertinet, ac spectare & pertinere poterit in futurum, perpetuo observari, nec illi ullo unquam tempore derogari posse, neque debere.

Decreta cum  
derogatione  
contraria.

**S. 24.** Præsentes quoque Literas Apostolicas semper, & perpetuo validas & efficaces exsistere, & fore, suoq[ue] plenarios, & integrorum effectus fortiri, & obtinere, & sic ab omnibus censeri; & ita per quocumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Caufarum Palati Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanae Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-legatos, dictæque Sedi Nuncios, judicari & definiri debere, & quidquid fecis super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictarum Ecclesiarium Moguntin. & Fulden., etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia corroboratis statutis, & consuetudinibus contraria quibuscumque.

**S. 25.** Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam Nostra absolutionis, approbationis, confirmationis, roboris adjectionis, ac decreti, infringere, vel ei ausu temerario contrarie. Si quis autem hoc attentre praesumperit, indignationem Omnipotens Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Roma apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominice Millesimo septingentesimo quinquagesimo septimo, duodecimo Kalendas Junii, Pontificatus Nostri anno decimo-septimo.

*J. S. Villa,  
Loco + Plumbi.*

## LXXXV.

Missam celebrantes, aut Fidelium Confessiones excipientes, ad Presbyteratus Ordinem non promoti, quibus poenit ex sacrorum Canonum, & Apostolicarum Constitutionum praescripto subjiciantur; quæ praxis haec tenus in Judicis adversus hujusmodi reos fit servata, & quomodo ipsopterum fit providendum.

*Epistola Encyclica ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, Lectorum Ordinarios.*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabilis Frater, Salutem, &c.*

Pontificum  
Constitutiones de Cele-  
brantibus non  
promotis, eo-  
rumque pec-  
nia.

Addita hu-  
jusmodi fan-  
ctionibus fir-  
mitas contra  
excitatas  
fraudes.

**Q**UAM grave horrendumque scelus admittat, quicumque Sacerdotali Ordine non initiatus, Sacrificium Missæ celebrare præsumit, superfluum censemus multis verbis demonstrare; quum omnibus perspectæ sint rationes, ob quas sacrilegum hujusmodi crimen merito detersandum, atque dirictio poenarum gladio vindicandum censetur. Satis itaque erit Apostolicas Prædecessorum nostrorum Constitutiones hic indicare, quibus severissimæ adversus memorati criminis reos poena statuuntur; quæ scilicet a fel. record. Paulo IV., Sixto V., Clemente VIII., & Urbano VIII. Romanis Pontificibus editæ fuerunt; quarum sanctionibus decernitur, ut quicunque Sacerdotali charactere destitutus, compertus fuerit Missam celebri, Foro seculari puniendus tradatur.

**S. 2.** Has omnes Constitutiones Nos ipsi memoravimus, & confirmavimus in nostra, quam usque ab anno Incarnationis Dominice

MDCCXLIV. Pontif. Nostri IV., sub Dat. XII. Kal. Majas edidimus, cuius initium est: *Sacerdos in eternum*, quæque impresa est in Bullario Nostro Tom. I. num. 97., ubi præterea plures tolluntur exceptions, & subterfugia, quæ per Defenseores reorū afferri solebant, ut eos eximerent a decreta poenæ traditionis brachio seculari; quantumvis legitimis probationibus plane constaret, eosdem, Sacerdotali ordinatione nunquam suscepit, Missam celebrasse.

**S. 3.** Quamvis autem Ecclesia præfatos celebrantes non promotos, justitia sic exigente, seculari Foro tradendis decreverit; quem tamē eadem pia mater sit, & ut omnibus constat, lenitatis & misericordia viscera gerat, nec unquam omisit, nec adhuc desinit mansuetudinis sua argumenta præbere, tum in statuenda forma degradationis verbalis, quæ reali degradationem præcedit; tum in ipsa reali degradatione exquenda; tum denique in providis legibus, & cautelis editis atque suscepit, ut nequissimos homines arceret a sacrilego ausu se immiscendi Sacrorum Mysteriorum celebrationi, absque Sacerdotali ordine & charactere; viam illis quodammodo præoccupando, qua in præfatam poenam traditionis brachio seculari prouere possint.

**S. 4.** In Pontificali Romano habet formam degradationis verbalis, per quam videlicet profertur sententia decernens realem degradationem, non minus in eos, qui Sacris Ordinibus, excepto Presbyteratu, insigniti sunt, quam & in ceteros Clericali tantum Tonfurato, aut Minoribus Ordinibus initiaro. Hoc solum inter uerisque intercedit discriben, quod in Clericos Minorum Ordinum, aut simpliciter Tonfuratos, verbalis degradatio peragitur, seu quod idem est, degradatio realis decernitur, a solo Episcopo, absque aliorum quorumcumque intervenientia: in alios vero Majoribus Ordinibus infra Sacerdotium insignitos, non licet Episcopo ad verbalem degradationem procedere, nisi assistentibus, & suffragium simili ferentibus aliis quibusdam personis, quarum præsentiam, sententiāque Canonicae Leges expoſunt.

**S. 5.** Celebris est Decretalis Prædecessoris Nostri Bonifaci Pape VIII. in Cap. degradatio, de Panis, in sexto, ubi hæc leguntur: *Super quib[us] tibi taliter respondemus, quod verbalis degradatio, seu depositio ab Ordinibus, vel Gradibus Ecclesiasticis, est a proprio Episcopo, sibi assistente in degradatione Clericorum in sacris constitutorum Ordinibus certo Episcoporum numero definito Canonibus, facienda; quamquam proprii Episcopi sententia, sine aliorum Episcoporum præsencia, sufficiat in degradatione eorum, qui Minores dumtaxat Ordines receperunt.*

**S. 6.** Notis sunt etiam sanctiones Canonum, quos indicat Glossa Canonica, in cit. Cap. Degradatio, in verb. Canonibus -- de panis, in sexto, quicque definitum numerum Episcoporum, qui assistere debent, ubi pronuncianda fit degradatio verbalis adversus Clericum in Majoribus Ordinibus constitutum.

**S. 7.** Nec quemquam latere potest quod in Sacro Concilio Tridentino statutum fuit Seß. XIII. cap. 4. de Reform., ubi, quum animadverbum suffit, non ita facile in occurrentibus degradacionibus casibus reperi si posse numerum Episcoporum a Canonibus requisitum, facultas fit Episcopis procedendi etiam absque illis; adhibitis tamen, sibi que ea in re assistentibus totidem Abbatibus, in Civitate, aut Dioceſi residentibus, atque ufo Mitra & Baculi ex Apostolica Sedis indulto decoratis, vel, si hi non adſint, aliis personis in Ecclesiastica Dignitate constitutis, matura etate, & sacrarum legum scientia spectabilibus.

**S. 8.** Quoniam vero juxta veterem disciplinam, verbales degradationes peragebantur in Synodis Provin-

Poenam in  
perditos ho-  
mines sic ir-  
rogat Ecclesia  
ut Jenis, prie-  
que Matris  
spiritum ser-  
vet.

Id emittit  
primo expro-  
scripta verba-  
lis degra-  
dationis forma.

Indicantur de  
ea canonicae  
sanctiones.

Subsidaria  
degradacionis  
forma a Con-  
cilio Tridenti-  
no permitta.

Affessores in  
verbali de-  
gradacione  
quo jure fru-  
antur.

ANNO  
1757.

BENEDICTUS XIV. AN. XVII.

285

ANNO

1757.

Provincialibus, & in his quidem singuli Episcopi suum proferbant suffragium; quum nunc Episcopi, vel alii Ecclesiastici viri, de quibus diximus, locum gerant Patrum in Concilis Provincialibus assidentium, facile intelligitur, in hos derivatum esse jus serendi suffragii in degradacionibus verbalibus, ad quas, ut Affectores, invitantur; quemadmodum plene demonstratum a Nobis fuit in nostro Tractatu *De Synodo Diocesana*, lib. 9. cap. 6. num. 4. *novissima edit.*

§. 9. Verbalem degradationem sequitur degradatio realis, cuius execundæ ratio distincte praescribitur in Pontificali Romano. Et in hac etiam Ecclesia minime omittit perpicua lenitatis, & pietatis sua argumenta præbere. Etenim pruquam degradatum tradat secularis Curiae Ministro, pro eo efficaciter deprecatur, ne pena mortis, aut mutilationis membrorum eidem infligatur: *Domine Iudex*, verba sunt citati Pontificalis, *rogamus Vos cum omni affectu*, quo possumus, ut amore Dei, pietatis, & misericordie intuita, & nostrorum interventu precaminum, miserrimo huic nullum mortis, vel mutilationis periculum inferatur. Maltoque ante Pontificis Romanus compilationem, idipsum expressum legitur in Cap. *Novimus*, quod est Innocentii III. *De Verbor. signific.*, ibi: *Pro quo tamen*, sermo est de degradato, seculari Curiae tradendo, *debet Ecclesia efficaciter intercedere*, apud Judicem laicum, *ut circa mortis periculum*, *circa eum sententia moderetur*. Videri quoque potest Alteferra ad cit. Cap. *Novimus*, *de verb. signific.*, ubi plures colligit Patrum auctoritates congruentes iis, que in prædicata Decretali statuuntur.

§. 10. Ad confirmandum autem assumptum nostrum, de summo pietatis studio, quo Ecclesia etiam nil tale meritos prosequitur, viamque ipsiis intercludere nititur, ne mortis peccatum per delicta incurrit; dicimus, antiquissimam providentiâ cautum fuisse, ut qui e propria in alienam Dioecesim transgreditur, nisi fuerit in hac plane cognitus, secum ferat Ordinarii sui literas, quibus fides fiat, eum esse Sacerdotem, nulloque, quod sciat, Canonico impedimento dentem, quominus Sacra Mysteria celebrare queat. Jam id decretum habetur in Sacra Calchedonensi Synodo; ubi quin interdictum legatur Clerico atque Lectori, e sua in aliam Dioecesin commigrare, non praebentis memoratis literis, quas Discessus appellamus, a proprio Episcopo; Jacobus Gujacius, aliique post eum accurati Scriptores, monerunt, cum vera Textus lectione non congruere verbum, *Lectori, sed ignoto*; quemadmodum & ipsi adnotavimus in nostra *Institutione 34. editionis latine §. 1.* Quod si vetustiora etiam propositæ discipline principia investigare libeat, consuli posunt Canones, qui Apofolici vocantur, apud Cotelerium in editione *Patrum Apofolicon* Tom. I. lib. 8. inter quos adest Canon XIII. ita decernens: *Si quis Clericus, aut laicus, a communione suspensus, vel communicans, ad aliam properet Civitatem, & suscipiat præter commendatitias literas; & qui suscepserunt, & qui susceptus est, communione priventur: excommunicato vero proteletur ipsa correptione, tamquam qui mentitus sit, & Ecclesiam Dei seduxerit.* Conponat huic Canon XXXIV., ut patet ex subjectis illius verbis; *Nullus Episcoporum peregrinorum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum, sine commendatitias suscipiat epistolis, & cum scripta detulerint, discutiantur auctentis; & ita suscipiantur, si probatione pietatis extiterint; sin minus, nec que sunt necessaria subministrerentur eis, & ad communionem nullatenus admittantur, quia per subreptionem multa provenient.*

§. 11. Porro, quidquid disputent erudit de vero Canonum Apofolicon Auctore, certum est, eos magnum auctoritatis pondus habere,

quum saltem seculo Ecclesiae tertio decurrente collecti fuerint ex pluribus Concilii ante Nicænam Synodus celebratis; uti nunc temporis inter sacrarum antiquitatum investigatores convenire videtur.

§. 12. Sanctissimis hinc legibus conformes sunt Concilii Tridentini sanctiones; conformes sunt Epistole Encyclicae a Congregationibus Urbanis ad Ecclesiarum Antistites sepe transmissae. Idque etiam pro firmo tenendum est, quod licet non oportet Episcoporum sollicitum esse de Regularibus, qui in propriis Ecclesiis Missas celebrare intendent, quum ejus rei cura reservata sit eorum Superioribus Regularibus; si quis tamen secularis Sacerdos in Ecclesiis Regularium Missam celebrare velit, hic etiam debet literas Discessus a proprio Ordinario obtentas exhibere Episcopo, in cuius Dioecesi Sacrum vult peragere; ut videre quoque est in *Nostra Institutione 34. latina editionis §. 1.*

§. 13. Veterem hanc, justissimamque sanctionem, de cuius executione plura tradiderunt nostri Scriptores pragmatici, (quos inter meritum memoriam est diligenter Monacellius, *Formular. Legal. Part. I. Tit. 4. Formul. 8. pag. 81.*, & *Formul. 6. pag. 79. item Tit. 6. Formul. 18. pag. 160.*) provinciæ excogitatis cautelis plurimum roboravit magnus Ecclesiastica discipline restitutor S. Carolus Borromeus, cuius hac de re Decreta pluribus in locis extantia studiose legenda, & expendenda monemus; videbile in Concilio Provinciali Mediolanensi primo habitu anno 1565. part. 2. in secundo pariter Provinciali anni 1569. *Tit. 2. Decret. 1.* ac Provinciali tertio, anni 1573. item in *Instructione ad Sacerdotes de celebratione Missæ*, ac denique in Concilio Provinciali quarto celebrato anno 1576. Quibus in locis constitutum habetur, ut Parochus, in cuius Parochia Sacerdos alienigena domicilium figit, si id per Dioecesum contingat, intra octo ad summum dies, illius adventum nunciare debeat Vicario Foraneo, qui rem ad Episcopum deferat; si autem in Civitate, Parochus ipse de omnibus certiore faciat Episcopum, qui sibi literas discessus ab hujusmodi Sacerdoti exhiberi mandet, easque inspiciat, totumque earum tenorem sedulo expendat. Si enim Ordinarius subdito sibi Sacerdoti *læcipientiam abeffendi* ad certum definitumque tempus indulserit, facultas celebrandi Missam eidem non ultra tempus illud concedenda decernitur. Notanda quoque jubetur dies, quia expeditæ fuerunt literæ discessus; ne scilicet ante eam diem, qua inspicienda, ac discutienda offeruntur, antiquiores fint duobus, vel quatuor, aut respective sex mensibus; duobus riñmirum, si literæ confectæ sint intra Provinciam; quatuor verbò, si extra Provinciam, in Italia tamen expeditæ fuerint; sex denique, si extra Italiam date comperiantur.

§. 14. Ex omnibus hinc tum generalibus, tum peculiaribus sanctionibus manifeste desumitur, quantopere Ecclesia abhorreat ab ea poena ad effectum perducenda, quam Sacri Canones in Celebrantes non promotos sanxerunt; quandoquidem tot veluti aggeres hominibus objiciuntur, ne in ejusmodi delictum labantur, unde locus fiat executioni ejusdem poenæ Sacris Legibus definitæ.

§. 15. Majoris tamen ponderis, ad hoc ipsum evincendum, est id, quod subjecimus. Sicut si aliquis coram Ecclesiastico Justice, seque ipse denunciatur, quamvis Sacerdotali Ordine desistunt, Missarum Sacrificia celebraffe, vel etiam Sacramentales Christifidelium Confessiones audisse. Ita se sponte sistens, eo privilegio gaudet, ut impositis ipsi salutaribus penitentis, dimittatur; nisi tamen in ipso suo Constituto diminutus, ut ajunt, vel aliunde præventus fuerit; in his enim casibus carceribus custodiendis includitur. Sed si idem subinde Judici interroganti, an sciat causam, ob quam carceribus mancipatus fit,

statim,

ANNO

1757.

Vetusioribus cōgruentiæ recentiores Ecclesiæ leges.

Novæ cautele in idipsum excoigitata, ac prescriptæ.

Premissa, rūm conclusio.

Instauratur validius ar- gumentum.

In reali quo- que degradatione Ecclesia eadem præberet leni- tatis argumen- ta.

Idem spiri- tus eruitur ex cautele ad preceavenda delicta fa- tutis.

Provida san- ctio de Sacer- dotibus & propria in a- lienam Dioce- cesim con- grantibus.

Vetusiora circa id ipsius monumenta.

Canonum Apofolicon Aucto- ritatis & antiquitas.

1757.

Cum se sponte sacerdotibus, vel crimen statim fatentibus quomodo res transfigatur.

Hodierna  
praxis circa  
verbalem &  
realem de-  
gradatio-  
nem.

Factum, un-  
de exorta  
præfens que-  
stio.

Judicium,  
Cōsultorum-  
que circa ip-  
sam senten-  
tiā.

Definitivum  
de eadem ju-  
dicium Pon-  
tificis.

statim, non expectatis ulterioribus interrogationibus, seu quæstis, sincere rem totam aperiat; quamvis de illius incuria in poenales Apostolicarum Constitutionum sanctiones non dubitetur; ideoque dignus sit, qui seculari Foro, ut capitalis criminis reus, liberè tradatur; nihilominus admittitur ad beneficium minorationis penæ, commutata ipsi peñi mortis in damnationem perpetuam ad tritemes; uti testatur bonum. Cardinalis Albitius harum rerum peritissimus, in suo Tractatu de Inconstancia in Fide part. I. cap. 14. num. 70. Si vero citatus, & vocatus, ad generalem interrogationem, an sciat qua de causa fuerit vocatus, vel sciat causam suæ carcerationis, vel quomodo hic repertior, satetur de pleno veritatem, is tractatur, ac si esset sponte confessus, & cum eo mitius agitur, præterim post condemnationem, ut scilicet gravior pena commutetur in mitigarem. Et ita fuit resolutum in sacra Congregatione sub die 12. Maii 1604.

§. 16. Illud etiam animadversione dignum est, quod quamvis in Pontificali Romano præscripta reperiatur degradatio, etiam a prima Clericali Tonsura; licet de hac questio sit, an inter Ordines numerari debat, nec ne; possitque Judge Ecclesiasticus, uti prenotavimus, quando agitur de Minoribus Ordinibus, solus per se verbalem Degradationem peragere, quod ipsi non licet sine aliorum interventu, ubi res est de Ordinibus Majoribus; nihilominus nunc temporis Sacerdotes, alii Clerici, tam Majorum, quam Minorum Ordinum, ad Tritemes liberè amandantur, vel etiam perpetuo carcere mancipantur, sine prævia verbali, multoque minus reali Degradationis; uti cuique perfectum est, & adnotatum quoque fuit a Sacerdote Catalani Comment. ad Pontif. Rom. Tit. 16. §. 4. num. 6. Tom. III.

§. 17. In Tribunalium Ecclesiasticon carceribus nunc quoque satis superque reperiuntur aliqui, ex nomine detenti, quod Sacerdotali Ordine carentes, Missas celebraverint, Sacramentales Fidelium Confessiones exceperint, illedemque etiam Eucharisticam Communionem experientibus, Particulas distribuerint a se nulliter conferas. Hos inter, duo erant, qui statim ac interrogati fuerunt, num detentionis sua causam scirent, omnia ingenuè confessi sunt; ex quo orta est questio, an iidem admittendi essent ad beneficium minorationis poenæ; ita nimis, ut non quidem Seculari Foro traderentur, tamquam capitii rei; sed potius in Tritemes, seu Carcerem perpetuò detruerentur.

§. 18. Nulla quidem discordia detecta est in suffragiis eorum, qui five confundendo, five jucicando, in prædictorum Causis sententiam dixerunt, super eo, an uterque reus poenam traditionis Foro Seculari, atque adeo Capitis poenam incurrisset. Verum nonnulli subdiderunt, attenta eorum prompta confessione, qua uniuersique delictum suum plene aperuerat, non expectatis ulterioribus Judicis interrogationibus; ambos præmeritos esse, ut pro sponte confessi haberentur, utque propterea ad Tritemes dumtaxat, vel Carcerem perpetuò damnarentur. Alii autem numero plures censuerunt, eosdem, tamquam capitii reos, brachio seculari liberè tradendos esse.

§. 19. Nos vero, quamvis ob ægritudinis nostræ pervicaciam, Congregationibus super his habitis, ut semper alias Nobis in more possum fuit, interesse non potuerimus; quam tamen subinde omnia perlegere, & expendere non omniserimus, Pontificie Clementiae & manutudini magis contentaneum existimavimus, in mitiorem sententiam concedere; eò vel magis, quod & Cardinalis Albitius in hujus generis rebus adeo veritus, testatum reliquit, ejusmodi poenæ minorationem, veluti præmium, indulgeri consuevit

iis, qui ad primam Judicis interrogationem delictum suum integrè, aperteque fatentur; & plurimi suppeditunt exempla caufarum, que in similibus circumstantiis ita transactæ fuerunt. Itaque volumus præfatos reos promerita poenæ minoratione in præsenti casu gaudere, nimisrum Tribunibus perpetuò addici, ita ut ab iis nunquam dimitti, seu poena hujusmodi commutationem ullam impetrare valeant, præter quam a Romano Pontifice pro tempore existente, ac de eorum delictis, cum omnibus adjunctis circumstantiis, edocito; reflecta dumtaxat Judicibus facultate, ut quoties perpetuum tribulum Opus præfatis reis minime congruere videatur, in illius locum subrogare valeant perpetuam in ergaculo aut carcere reclusionem, si reliqua ipsiis ad id necessaria non defint. Præterea volumus atque mandamus, ut quæ damnatio ad Tritemes, seu ad perpetuam reclusionem, ut supra, præfatis reis formiter intimaenda erit, id fiat a Justice, præfentibus iis, qui ad Ecclesiasticarum Sacra moderanda deputati sunt, quique ab hujusmodi actum evocandi erunt ab ipso Justice, sub poenis ejusmodi arbitrio infligendis; atque ea occasione gravis admonitio iis fiat, de omnimoda observantia & executione corum, quæ sepe præscripta sunt; ne scilicet ignotos Sacerdotes Missam celebrare permittant, nisi postquam Literæ dicessus, quas secum a propria Diocesi prodeuntis attulerint, recognitæ & examinatae fuerint per eum, cui hujusmodi cura demandata est. Id ipsum enim prælittum alias suffice meminimus in hac eadem Urbe, sub fel. rec. Prædecessore nostro Clemente Papa XI. tunc quum seculari Foro traditus fuit reus quidam capitali poena plectendus, eò quod Sacerdotali Ordine non insignitus, Missam celebraverat.

§. 20. Cum ipsis igitur, qui usque nunc comperti fuerint ad Sacrum Presbyteratus Ordinem non promoti, Missam celebrasse, aut Sacramentales Confessiones exceperint, juxta rationem hactenus descriptam, a competentibus Judicibus, & Tribunalibus agendum decernimus. Sed quoniam hujusmodi crimen, utpote gravissimum, & latius superque frequentatum, omni ratione præcavendum, &c., quantum fas est, a Christiana Republica eliminandum, extirpandumque Nobis esse cognoscimus; novam hac de re legem a Nobis statutam per Apostolicam Constitutionem, (cujus exemplum Epistole huic adnexum Fraternitas Tua accipiet) in posterum, post tres scilicet menses ab ejusdem Constitutione data computandos, omnino servari, & ad effectum produci mandamus. Tibique interim, Venerabilis Frater, Apostolicam Benedictionem peramanter importum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 2. Augusti MDCLVII. Pontificatus Nostri Anno XVII.

Sententia in  
hujusmodi  
reis quomo-  
do a Justice  
ferenda.

Hæc quæd  
antraecum  
tempus. No-  
va in futuri  
cōtra nequissi-  
mum scelus  
parantur sub-  
sidia.

Dat. 2. Au-  
gusti 1757.  
Pont. XVII.

LXXVI.

Celebrantibus Missam, aut Fidelium Confessiones excipientibus, sine Sacerdotali Charaktere, sincera criminis confessio facta in primo interrogatorio generali nihil suffragatura decernitur, ad evadendam poenam traditionis brachio seculari, indicata in Constitutionibus Apostolicis.

BENEDICTUS EPISCOPUS,  
Servus Servorum Dei. Ad perpetuam  
rei memoriam.

DIVINARUM, humanarumque Legum cu-  
stodia vigilanteæ. Nostre concedita hoc  
Nobis onus imponit, ut & assiduo studio cava-  
mus, ne sceleræ atque flagitia contra ipsas  
Leges committantur, & ut ea, quæ ab ini-  
quitatibus filiis perpetrari contingat, justo po-

Procedium.

narum